



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Munera praesentibus Episcopis dedit, & ad absentes omnes literas. Cap.  
XV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

## EVSEBII DE VITA

ad Dei honorem illustrandum egit. Eodem tēpore vigesimus eius regni annus completus est: in quo conuentus celebres etiam apud reliquas gentes agitabantur. Inter Dei ministros iam pace conciliata, ipse Imperator conuiuium celebrare cœpit, & hoc tanquam sacrificiū Deo valde accommodatum per illorum præsentiam obtulit: neque quisquā ex episcoporum numero, ab illo regali epulo abfuit. Istud porro, quod ibi factitatū est, omnem dicendi facultatem superat. Satellites enim armati, districtis gladijs, vndique regiæ vestibula obseruabant: per quorum mediam turbam sancti Dei homines absque formidine ingressi sunt, & ad interiores palatij ædes perrexerunt. Ex quibus alii deinde vna cū Imperatore accumbere: pars propè valuas triclinij vtrinque assidere. Regni Christi effigiem in ea re adumbrari videbatur: quam rem somnij similis, quā rei gestæ, aliquis existimare poterit.

*Munera præsentibus Episcopis dedit, & ad absentes omnes literas.*

### CAP. XV.

**V**bi autem communium magno cū splendore venit ad exitum, illud prætera, quò omnes magnificentius & liberalius exciperētur accessit, quisque nimirum pro dignitate muneribus honorificè donatus fuit. De hoc porro concilio Imperator illos etiā, qui ei neuti quā interfuissent, certiores fecit per literas: quas quidem in hanc nostram historiam, tanquam in columellam quandam inscribam: quæ ita se habent.

*Constantinus Augustus Ecclesiis S.*

*Litera Constantini ad Ecclesias de habita Nicææ Synodo CAP. XVI.*

**C**um ex florenti & prospero Reip. statu, quanta sit, diuini numinis erga nos benignitas, compertum haberem, istud maxime omnium mente circumspicendum putavi, vt in sanctissima catholice ecclesie multitudine, vna fides, sincera charitas, & consentiens erga Deum omnipotentem religionis cultus seruaretur. Verum quoniam istud haud poterat in loco tuto firmoque collo-